



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

519. Qualiter de cetero constet, & probetur, Ordinarium prævenisse Papam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



n. 80.) hic enim tunc preferendus provisio à Papa, cum melior sit conditio possidentis, & presumere faciat, possidentem fuisse antea provisum. Card. Luc. & Castrop. *l. cit.* juxta textum clarum *cit. c. si à sede.* citat uterque Gonz. & addit Castrop. id tenere, etiamsi provisus ab Ordinario non accepisset possessionem eo die, quo fuit provisus.

3. Limitanda secundò: nisi ex parte provisus ab Ordinario concurreret non solum assignatio diei, sed etiam hora, cujus assignationem non haberet provisus à Papa; ob illam enim determinationem presumitur provisio Ordinarii anterior, quia est certior probatio, quam illa, quæ expressione horæ caret. Pirh. *loc. cit.*, citans Gonz. *ubi ante. n. 110.* & Barb. *num. 15.*

*Quæstio 519. Qualiter de ceterò constet, & probetur, Ordinarium prævenisse Papam?*

1. Respond. primò: unde preferantur inde provisiones Apostolicæ, & inferiorum collatorum, nihil potius attenditur, quam data circa tempus, ut qui in data est anterior, censeatur quoque in re potior. Lott. *l. 2. q. 23. num. 6.* ubi *num. seq.* plurima pulchra habet circa datas illas & signaturas literarum Apostolicarum, de quibus nos infra, ubi de provisionibus & literis Apostolicis: quæ vide hanc in rem.

2. Respondeo secundò: ad hoc probandum non sufficiunt literæ Ordinarii, ejusdemque sigillo munitæ, esto, etiam adest sub scripto Secretarii Episcopi, dum hic Notarius non esset; eò quòd Ordinarium cum suo scriba, seu Secretario facile fingere possent ante datam. Castrop. *cit. p. 13. n. 5.* citans Gonz. *ubi supra num. 147.* Mascard. *conclus. 991. n. 13.* Garc. *p. 8. c. 4. n. 11.*

3. Respondeo tertio: sufficere tamen, si adest subscriptio Notarii, referentis, testes fuisse presentes; eò quòd juxta receptissimam praxin instrumentum publicum à Notario confectum non expostulet ad sui fidem testium subscriptionem, ut Covar. *pract. qq. c. 20. n. 4.* Castrop. *loc. cit. num. 6.* contra Gonz. qui *loc. cit.* necessarium censet, instrumentum seu scripturam factam coram Notario & testibus se subscribentibus.

4. Respondeo quarto: sufficere, si testes in instrumento denominati sint domestici, aut familiares; eò quòd tunc probatio non fiat vigore testium, sed instrumenti publici, cujus probationi non notabiliter derogatur per appositionem testium non majorum omni exceptione, Castrop. *loc. cit.* citans Garc. *p. 8. c. 4. n. 55.* contra Gonz.

5. Respondeo quinto: sufficere, si subscripti testes in instrumento collationis, tamen non sit factum coram Notario; vel etiam si testes examinati deponant de provisione Ordinarii ante datâ; eò quòd probatio testium sit legitima, & presumptionem cessare faciat. Quæ omnia à fortiore procedunt, si possessio comprobetur, tamen de collatione authentica non constat. Castrop. *loc. cit.* citans Garc. *ubi ante. n. 27.* quod posterius etiam tradit Gonz. *n. 161.* ubi ait, non esse opus requisitâ aliâ à se solennitate, dum provisus ab Ordinario esset in possessione ante datam literarum Apostolicarum, esto, de ejus provisione authentica non constaret. Item si provisus ab Ordinario ante datam literarum Apostolicarum resignasset suum beneficium, & de hac resignatione, saltem per duos testes, constaret: eò quòd tunc cessaret presumptio

fraudis factæ ab Ordinario in collatione. Item dum collatio pertineret ad duos Prælatos, v. g. ad Episcopum & simul ad Capitulum; eò quòd presumendum non sit, tot personas consensisse in fraudem. Item si esset antiqua presumptio pro provisione Ordinarii, excludens presumptionem fraudis, &c.

*Quæstio 520. An, & qualiter Papa conferendo beneficia censeatur illorum naturam immutare?*

Respondeo: tamen tam beneficia perpetua ad tempus, quam manualia in perpetuum conferre possit, Corrad. *pr. benef. l. 1. c. 6. num. 288.* & 289. soleatque non raro beneficia manualia conferre in perpetuum, seu ad vitam oratoris (ubi tamen expressa mentio facta fuit ab oratore manualitatis; hi enim tacita, subreptitia omnino redderetur gratia. Corrad. *ibid. num. 290.* Card. de Luc. *de benef. d. 97. num. 21.*) quin &c, dum quandoque beneficia manualia confert, non exprimendo in literis, se ad vitam oratoris conferre, censeatur ea contulisse in perpetuum; actus enim certo tempore non conclusus perpetuus reputatur, ut fuit Corrad. *loc. cit. à n. 299.* Veruntamen Papa conferendo simpliciter beneficium manuale, nullâ habitâ mentione, an sit manuale, an perpetuum, non censeatur voluisse naturam, aut statum beneficii alterare, efficerique perpetuum, quod erat manuale. Corrad. *n. 292.* Unde etiam, licet pluries beneficium tale collatum per Papam in titulum efficiatur in hoc sensu perpetuum, quòd à collatorio, quousque is vivit, sit inauferribile per inferiorem; succedente autem postmodum illius vacatione, redit ad primitivam suam manualitatem, eò quòd talis beneficii status nunquam immutatus fuisse censeatur, ex eo, quòd Papa presumatur illud contulisse secundum statum, quo ante illius collationem consistebat. Corrad. *loc. cit. à num. 305.* citans Felin. *in c. constitutus. de rescript. n. 10.* dicens, sic pluries visum in Curia Romana observatum, etsi *num. 308.* dicat: hodie dum hujusmodi manualia beneficia cum maxima difficultate à Papa conferri in titulum perpetuum, vide plura hac de re *part. 1.* ubi actum de beneficio manuali.

*Quæstio 521. Qualiter Papa de beneficio viventis provideat?*

1. Respondeo primò: Papa beneficia tam vacantia, quam non vacantia providere potest. Pirh. *ad tit. de præb. n. 74.* juxta *cap. 2. eod. tit. in 6.* cum communi. Idque non tantum dando expresse stativam, seu mandatum de beneficio, tunc, quando vacaverit; sed etiam pro arbitratu suo uni adimendo beneficium, alterique dando. Pirh. *ibidem.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 25. q. 1.* juxta dicta *q. 2. hujus §.*

2. Respondeo secundò: providendo autem de beneficio viventis ob crimen aliquod, declarat hoc ipso, illud crimen inducere inhabilitatem.

Card. de Luc. *de benef. d. 75. n. 15.*  
d. 76. n. 9. 10. 18.

\*\*\*\*\*  
\* \*  
\*